



Rosalia-Guy del.

lith. de L. Higo et. C^m rue Richer 7.

Marchal. lap. inc.

Schmidtia laevigata C. H. Schultz Bip.



3. TOLPIS LACINIATA. WEBB.

Collum et ima plantæ pars fruticosa, ceterum herbacea, achæniis conformibus glabris, 10-costatis, rugulosis, atris, pappo 4-7 pl. 5-6 setoso, setulis minimis interjectis, foliis radicalibus rosulatis, elliptico-lanceolatis, subpinnatifido-pinnatipartitis, receptaculo areolato-punctato non favoso ut in speciebus affinibus (polymorpha glabrescens, caule efoliato, corymboso, styli rami breves, subaccumbentes).

Tolpis laciniata. *Webb!* in litt. An *T. lagopodæ* var.? diversa videtur. Webb in litt.

Schmidtia laciniata *C. H. Schulz. Bip., tab. 121.*

HAB. In rupibus Teneriffæ vulgaris cum *T. coronopifoliâ* et (sed locis minùs elevatis) cum *T. lagopodâ*: *Webb!* insula Hierro, villa de Valverde 7 Junio 1845: Bourgeau! n. 8; Palma, la Caldera, in rupestribus 2 Aug. 1845: Bourgeau! n. 23 et 27 et Baranco del Rio Santa Cruz de la Palma, 19 Julio 1845: Bourgeau! Unica.

DISTRIB. GEOGR. Species mera canariensis.

DESCR. Species valde variabilis quoad foliorum divisionem et indumentum, herbacea collo suffruticulosa, caulibus subnudis glabrescentibus, juncis, corymbosis. Affinis *S. coronopifoliæ*.

RADIX speciminum juniorum radicibus annuis similis, non vero perpendicularis uti e. g. radix *T. coronopifoliæ* sed subhorizontalis, supernè 1 lin. diametro metiens, 2-3 poll. et ultra longa, ramosa, quasi repens et hinc inde in speciminibus ætate magis progressis caules novellos edens. Demùm rhizoma subhorizontale lignescit 3-7 lin. diametro habet, cortice brunneo, ligno duro, sordidè albente, hinc inde caules herbaceos edens, ad basin foliis numerosis confertis, subrosulatis obsitos. FOLIA hæc radicalia 1 1/2-4 1/2 pl. 3 poll. longa, supernè circumferentia 1/2-1 1/2 pl. 3/4-1 pol. lata, oblongo-obversè lanceolata, in petiolum attenuata, 3-9 lin. longum, basi ipsâ expansum in scariositatem semiamplectentem, pinnatifido-pinnatipartita, pinnis oblongo-lanceolato-linearibus 1-10 lin. longis, 1/6-4 lin. circumferentiâ metientibus, pl. obtusis et corpusculo albente terminatis, dentato-pinnatifido-pinnatipartitis vel integris; folii rachis 1/2-7 lin. lata, pl. dentata; pinnæ basin et apicem obtusum versus decrescunt; folia juniora plus minusve arachnoideo-tomentosa, adulta glabrescunt et viridia, ad petioli basin vero cum caulis parte inferiore vellere tomenti denso sunt obsita sed multo breviora ac *T. lagopodæ*. CAULIS erectus, spithameus-pedalis, imo 5/4 pedalis, pl. dodranthalis-pedalis, infernè 1/3-ultra 1 lin. diametro metiens, excepta basi et pedicellorum partem superiorem glabrescens, teres, striatus, gracilis, sicut tota planta succo scatens lacteo, corymbo simplici v. composito terminatus, pl. jam à basi in ramum unum alterumve abiens, ita ut primâ fronte rhizoma multicaule esse videatur, quandoque vero infra vel supra medium ramosus, tantum ad ramorum exortum foliis munitus, ceterum efoliatus; folia ramea inferiora radicalibus similia, sed minora, pinnatifida, pinnis subintegris, superiora elongato-linearibus subintegra; rami efoliati corymbo simplici v. composito terminati. CAPITULA multi-90 flora, pedicellata, pedicellis centralibus 1 1/2-12 lin., lateralibus 1/3-1 1/2 poll. longis, supernè

squamis 2-5 pl. 3 parvis, patentibus, 1 3/4 lin. longis, angustè linearibus, acutis munitis, in quorum axi in pedicellis lateralibus non rarò capitula observantur rudimentaria. INVOLUCRUM 2-2 1/2 lin. altum, campanulatum, demum reflexum, caulique adpressum, cum pedicelli parte superiore tomento farinaceo canescens, subimbricatum squamis int. pl. n. 19, anguste linearibus, dorso rotundato-carinatis, ext. pl. n. 8 duplo v. triplo brevioribus, angustè linearibus, adpressis. RECEPTACULUM 1-5/4 lin. diametro metiens, convexum, punctatum, areolatum, non vero foveolatum uti in plerisque generis speciebus; areola nempe omne achæmium circumdans vix elevatus. Flores aurei, demum exsiccatione virescentes, speciosi, expansi 8-9 lin. diametro metientes, peripherici radium formantes 3 3/4 lin. longi, ligula 1 lin. fere lata, disci flores vero 2 3/4 lin. longi, omnes apice 5-dentati; tubus 1 lin. longus pilis patentibus munitus simplicibus. Antheræ ultra 1 lin. longæ; styli rami brevissimi erecti, imo subaccumbentes. ACHÆNIA conformia, glabra, atra, 2/3 lin. longa, columnari-turbinata, basin versùs attenuata, apice margine prominulo munita, 10-costata, subrugulosa. Pappus albus, persistens, 1-serialis, radiis majoribus 4-7 pl. 5-6 subæqualibus, 1 2/3-2 lin. ferè longis, minimis pluribus interjectis.

Variat :

I. *Vulgaris*, folia pinnatipartita, pinnis pinnatifido-dentatis, rachi ut in forma II, 1/2-2 lin. lata. Pappi setæ 5-7 pl. 6.

a. *Glabrescens*, caulis spithameus-dodranthalis; Teneriffa : Webb.

b. *Subglabrescens*, caulis pedalis robustior; ins. Hierro : Bourgeau! n. 8.

c. *Cano-tomentosula*, caulis ultra pedalis; Palma, la Caldera : Bourgeau! n. 23.

II. *Tenuiloba*, folia pinnatipartita, pinnis rachique angustè linearibus, subintegris, subcana, caulis ultra pedalis; pappi setæ majores 4-6; Palma, la Caldera : Bourgeau! n. 27.

III. *Pinnatifida*, folia pinnatifida, pinnis ad basin marginis inferioris dentatis vel integris, rachi 3-8 lin. lata, glabrescentia, pappi setæ majores 4-6; Palma, Baranco de Rio, Santa Cruz : Bourgeau! Unica.

EXPLICATIO TAB. 121.

Icon bonæ formæ I, *b*, repræsentans.

1. Planta integra. 2. Achæmium cum pappo.

4. TOLPIS LAGOPODA. CHR. SMITH.

T. perennis achæniis conformibus, teretibus, glabris, 10-costulatis, pappo 6-12, pl. 8 setoso, setis minimis interjectis, foliis caulinis (radicalia desiderantur) elliptico-lanceolatis, sinuato-dentatis, in petiolum attenuatis (junior arachnoideo-tomentosa, demum glabrescens, excepta caulis corymbosi imà parte densè tomentosa, styli rami erecti, quandoque paulisper arcuate reflexi, quâ notâ species hæc distinctissima ab omnibus jam differt).

Tolpis lagopoda. Chr. Smith! (ex Webb) apud Buch Canar., p. 147 et 184 (nova et singularis, caule